responsoq Dnus, legat Euangelium faciatq Exhortationem, qua finita et subiuncto ab omnibus Amen Immediate si recipiendus erit Novitius, dicat Conversus cui hoc iniunctum est officium, Conversus est recipiendus. Tunc Praeses vel Magister dicat Novitius Conversus in Capitulo Monachorum receptus est, Veniat et mittemus eum in Ordine suo, et iussu illius adducat illum praedictus Conversus, cui petita primis venia, astanti ante eum exponat breviter Praeses vel Magister, asperitatem et vilitatem Ordinis, dicatque se taliter recipi ab Ordine, ut valentis admodum servi, pro precio conducti, laborem sibi iniunctum adimpleat. Deinde oret pro perseverantia eius, cumque viderit Novitius se cum Dei adiutorio velle cuncta servare, dicat qui praeest Capitulo: qui coepit in te Deus ipse perficiat, et dicto ab omnibus Amen, iubeat eum in Ordine suo collocari. Postea absoluantur defuncti Conversi, et omnes intitulati in libro defunctorum Conversorum quibus peractis dicat qui praeest Capitulo. Loquamur de Ordine nostro, quo dicto, petant veniam, qui se culpabiles noverint, poscantque licentiam loquendi, et se accusandi vel alter alterum proclamandi.

3. Quicunque absque licentia locutus fuerit, vel superbe renuerit paenitentias, vel etiam qui a sententia Praesidentis Capituli appellaverit ad Superioritatem aliquam, mittatur statim ad carceres, nisi ante exitum Capituli resipiscat, et se humiliet.

4. Proclamatus audiens nomen suum statim petat veniam, et non nisi ad iussionem Praesidis surgat, et examinata culpa, si reus fuerit inventus paenitentiam acceptet.

5. Si quis exigentibus culpis paenitentiam accipit nihil aliud dicat quam mea culpa, volo me emendare.

6. Quicunque Conversorum proclamationes seu etiam charitativas reprehensiones, et denunciationes ommittit, praesertim si videat gravius scandalum subsequi posse, de suo contemptu et negligentia, coram districto Iudice se redditurum noverit.

7. Post culparum cognitionem dicatur ipsis Conversis, quid legere debeant pro defun-

defunctis in Cap[itu]lo Monachorum commendatis, et si quas alias omnes tam pro vivis quam pro defunctis iniunctas fuerint in eo, iniungantur similiter in Capitulo Conversorum, et quoties aliquid commendatur vel oratio iniungitur omnes inclinent: quod faciet etiam is cui aliquid iniungitur. Item quae festa vel ieiunia in instanti septimana sunt celebranda, et breviter illa quae necessaria credentur, vel etiam si ex mandato Abbatis vel Prioris aliquid dicendum fuerit, semper adiungens: Omnia sint in charitate.

8. Ultimo legatur psalmus De profundis cum reliquis consuetis, quibus peractis, dicto Adiutorium nostrum, inclinantes omnes humiliter et discedant.

9. In Vigiliis festivitatum B. V. M., Omnium SS. et Nativitatis D[omi]ni, intrabunt Cap[itu]lum Monachorum, ubi ad honorem festivitatis crastinae brevem orationem, hoc est, humiliter inclinantes dicent devote: Ave Maria; In Vigilia autem Nativitatis D[omi]ni, prostrati dicent orationem solennem id est Pater noster et Ave Maria et erecti residebunt post alios, usque dum lecta fuerit Regula, qua perlecta exibunt, facta inclinatione ad sedem Abbatis.

10. Dominica Palmarum ad Cap[itu]lum Monachorum etiam convenire tenentur, audituri excommunicationem contra proprietarios, et alios graves casus ibidem recensendos.

De votis silentio, et disciplina Conversorum. Caput. VI.

1. Quantum spectat ad votum, omnes Conversi obedientiam casto amore suis Superioribus et Magistris impendant dicente Christo. Qui vos audit, me audit et qui vos spernit, me spernit.

2. Nullatenus Conversus praesumat in praesentia Monachorum vel laicorum et saecularium quorumcunque Praesidem vel Magistrum reprehendere aut eisdem protervè ridere et resistere, sub poena privationis cibi et potus ad arbitrium Praesidis. Quae ad votum Castitatis pertinent, interpretatione non indigent cum constet quam sit perfectè observanda: nempe enitendo Angelicam puritatem imitari, corporisque et mentis

mentis munditiam. Ut igr oīs occasio vitetur, nullus solus loqui praesumat cum muliere quacunq, nisi ex necessitē, et cum lntia, minus autem cum personis suspectis.

3. Paupertatem quoq diligant, et in sua puritate conservent, et nimirum firmiter animum paratum habeant resignand in manus Superioris vel Praesidis sponte et libere ea oīa, quae sibi ad usum concessa sunt, quoties Praeses voluerit absq ullo murmure, vel quaerela, alioquin noverint quod se et sua nondum perfecte reliquerint et paupertatem Christi sequi eiusq discipuli fieri non possint.

4. Quicunq Conversor officii sui causa pecuniam penes se habuerit, nihil de ea exponat, nisi de Praesidis vel Magri lntia, quibus tenebr iustam de ea re reddere rōnem, si quis alius apud se vel alibi habuerit pecunias rigide puniatur.

5. Si alicui aliquid datum vel oblatum fuerit, in eo nullum ius vel proprietem praetendere potest aut debet, quod si contentiose illud tanquam suum retinere voluerit, ab eo auferatur, et ad coēm usum deputetur, ac in Caplo puniatur.

6. Cum quidquam alicui ab Abbate negatum fuerit lntiam super eod non poterit dare Prior vel Supprior vel Cellerarius et ideo petitor Conpis etiam non interrogatus dicat quod sibi ab Abbate fuerit denegatum, alr fraudis reus, si eam ab ignorante impetraverit arguatur et puniatur. Similr si quis lntiam à Priore, Suppriore, Cellerario, denegatum: ab Abbate postea petere voluerit, à praedictorum aliquo fuisse denegatum, manifestet eid, sub eadem poena.

7. Conversi sine lntia nulla dona vel munuscula accipiant, donent, vel aliquid accomodent, permutent, minus accipiant ab aliquo vel dent alicui pecunias mutuo sub poena carceris. Cui poenae etiam subiacebunt, quicunq claves clandestinas habuerint. Nihil etiam abalienent, nec pro alienis spondeant.

8. Lrās neq mittant neq recipiant, nisi prius eas Praeses vel Magr in absentia Praesidis viderit.

9. Nullus Conversus equum, sellam, cappam vel quidquam habeat, quod Praesidi vel Magro audeat negare. Nullus Conversorum discat Grammaticam vel Cantum,

vel quid-

vel quidpiam aliud, nisi quod pertinet ad ipsorum statum, et quae scire debet ex Ordine; qui tamen horum aliquid ante ingressum Religionis didicerint, possunt ad nutum Praesidis arte sua vel scientia uti.

10. Conversi vigore Constitutionis Apostolicae, Regulae S. Benedicti, Capituli generalis, et definitionum Ordinis non solum ad vota praedicta, verumetiam ad stabilitatem, pari observantia cum Monachis Claustralibus sunt obstricti.

11. Omni tempore matutino et vespere post Completorium, Item in refectorio, dormitorio, et quibusvis officinis, Conversi teneant silentium sicut et Monachi, et in aliis locis a confabulationibus inanibus abstineant, iussu tamen Praesidis, vel etiam de licentia Magistri in aliquo loco determinato inter se de necessariis, vel piis rebus conferre possunt.

12. Quicunque Conversorum suum silentium fregerit, otiosus sederit, vel hinc inde vagatus fuerit, in proximo Capitulo obiurgetur. Si vero ex consuetudine mala id fecerit, et aliquoties correptus non emendaverit, acriter puniatur.

13. Non concedatur Conversis ut cum Monachis loquantur, nisi necessitas intervenerit, ipsique Conversi specialem a Praeside de hoc licentiam habuerint.

14. Curent diligenter omnes, ut portas sensuum suorum praecipue oculorum, aurium, linguae custodiant, praesertim quando cum Saecularibus loquuntur, vel conversantur. Quando vero inter se ad colloquium tempore statuto venerint, ipsorum colloquia pietatem et gravitatem redoleant, et salutem respiciant animarum.

15. Benigne accipiant Conversi, si ab aliis Confratribus suis corrigantur, imo et aliorum correctionem promovere, iuvare, et manifeste supportare, invicem sint parati ideoque debito amore et charitate ad maiorem Spiritus profectum. Qui verba sermonis sui spreverint, et contradicere praesumpserint, ab aliorum colloquiis usque ad condignam emendationem separetur.

16. Sint memores suae conditionis, qua recepti sunt in servitium Monachorum, ut Monachis omnibus tam gestu quam verbo debitam reverentiam exhibeant. Idcirco quoties illos praeterierint aliquantulum inclinent, et caput discooperiant, et quando loquuntur cum eis caput non tegant, nec assideant nisi iussi, multo magis autem erga Superiores et ceteros Officiales, sese reverenter et humiliter gerere debent.

17. Obe

17. Obviantes sibi invicem Conversi, amica mentis alacritate, profundaq humilitate, mutuo dantes locum, servato silentio pertranseant. in quo iuniores qui posterius ad Ordinem venerunt, satagant praevenire maiores.

18. Quandocunq Monachi rasuram acceperint, accipiant et ipsi Conversi, ut uniformitas in Ordine servetur.

De refectione et Ieiunio Conversorum Cap. VII.

1. Diebus solennioribus et Dnicis, mox ut auditum fuerit signum refectorij, omnes Conversi, exceptis portarijs et Culinariis ad utramq refectionem cum Monachis ad refectorium conveniant, pariterq cum illis Benedicite dicant, cibumq sumant, sumpto cibo et Monachis processionaliter cum psalmo Miserere ad templum euntibus ipsi quoq Ordine suo Praesidem sequentur. Intrantes vero templum, ab inferiori parte ingrediantur chorum suum, Privatis autem diebus audita Missa, et sumpto ientaculo iuxta dispositionem Praesidis, iterum laborabunt, et semper ad pulsum campanae in templo post refectionem Monachorum convocati, cum Servitoribus post benedictionem mensae reficient et gratias agent.

2. Qui ad Benedicite non interfuerint, sine licentia postmodum nullatenus refectorium intrent.

3. Nullus praesumat in Refectorio panem incidere, vel potum infundere, antequam Benedicite sit dictum, vel etiam signum a Praeside datum.

4. Eisdem cibis vescentur Conversi quibus et Monachi, nullusq inquirere vel interrogare de cibis praesumat, nec etiam recusare communes.

5. Ipsi Conversi in refectione corporis curent ut temperantiam et modestiam in mensa servent, et dum corpus cibum capit videant ut anima etiam reficiatur, quod fiet si diligenter lectorem auscultaverint.

6. Oculos ubiq, sed maxime in Ecclesia et Refectorio cohibeant, ne murmurandi aut ridendi occasionem habeant.

7. Nullus Conversorum de victualibus murmuret, vel cibum seu potum ex Refectorio sine licentia secum auferat, sub privatione omnis vel alterius portionis in sequenti refectione. Privatis diebus post utramq refectionem ad designatos labores se statim conferent.

8. Nemini fas sit quidpiam cibi vel potus extra Refectorium sumere vel clandestinas et-